

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A 1566.

ratis in specie & collatis inter se mutuo singulorum asseverationibus discrepantibus, ostendit. Sex etiam causas commemorat, cur ii homines, qui Cingliani & Calvinista ab aliquibus vocantur, condemnari non debeant, priusquam legitime audiri & convicti fuerint. Hæc tria scripta Doctor Grempius à me accepit: nec dubito isthuc transmissa esse. Quod si à me habere exempla voles, transcripta ad te mittam. Doctor Tilemannus Heshusius heri à nobis discessit. Elector Saxonicus & Bavarus post biduum dicuntur Monacum profecturi esse. De bello Turcico silentium ait. Bene & feliciter vale. Augustæ, 12. Maji, Anno 1566,

Salutem tibi reverenter & officiose adscribi iussit Collega meus D. D. Wigan-
dus.

David Chytræus.

CVI.
S. D.

Reverende & Clarissime Vir, Præceptor & Patrone colende. Filium DEI, fontem sapientiæ, & gubernatorem ac custodem vitæ piorum, ardentibus votis precor, ut consilium de migratione ad vos mea regat & adjuvet, ut sine gravioribus difficultatibus feliciter perfici, & vestræ Scholæ ac mihi salutare, & conjunctioni nostræ gratum & jucundum evenire possit: *επιζητούμεν ὁ θεός, ἀρχή τε γλυκύνει καὶ τέλος ἐξῆν.* Ego quidem tuæ solius benevolentia & fidei erga me paternæ opera effectum esse agnosco, ut ad vos vocarer, ac tuis præcipuè literis accuratissimè & amantissimè scriptis adductus sum, ac clarissimo viro, D. D. Ludovico Grempio, eandem causam apud me Augustæ agenti, certis conditionibus assentirer. Quas in adjuncta pagella consignatas, tibi etiam mitto: ut, cum circa proximum Michaëlis diem, promissum conditionibus illis factum, vobis servare, & nisi vel morbo, vel vi retinear, cum familia isthuc proficisci decreverim. Tabulas conductionis in eam sententiam scribi, & à Senatu vel præfectis Scholæ, vel aliis, qui isthic jus vocandi Scholæ ministros habent, obsignatas ad me circa D. Laurentii festum, perferri cures. Me in hoc consilio migrationis, obtestationes Collegarum meorum, & prædictiones etiam iræ DEI, & malæ conscientia, & tristissimarum calamitatum, quas deserta præsentis statione accepturus sim, non leviter his diebus perturbarunt: & accedet offensio Principum de me tot annis bene meritorum. Sed cum DEO isthic fortasse non minus quam in hac litoris Balcici Sarepta servire possim & cupiam: DEUM oro, ut institutum nostrum gubernet, & errata condonet. Discedendi igitur veniam ab Illustrissimo Principe meo Joanne Alberto missis ante triduum literis, quarum exemplum

Ff

hifce

hisce adjunctum leges, petivi: à cujus celsitudine responsum non clementissimum exspecto. Ducis Ulrici verò, qui nondum ad nos rediit, graviozem etiam indignationem pertimesco: eum præter cætera in me beneficia, eadem die, qua Augusta ab eo nuper discessi, munere amplissimo centum Joachimicorum, addita etiam benevolentia suæ testificatione illustrissime prosecutus sit. Cæteras difficultates & mala, quæ *ἐν αὐτῷ πάλιν ἐφιδύσται* *ὅτι ἐπιπράσσει* familiaris & instrumenti domestici, facilius fero: tametsi maximam partem æneæ & stannæ, & lignæ supellectilis meæ, quam DEI beneficio satis copiosam ex hæreditate socrus meæ accepi, asportare mecum nequeam, nisi sumptus vesturæ immodice augere velim. Gratissimum autem mihi esset, aliquem Senatus vestri ministrum, vel civem, instructum viatico necessario, circa Laurentii Festum ad nos venire, qui duos aut tres currus ipse conduceret, & onustos supellectile mea, Francofordiam in nondinas comiraretur, sumptusque necessarios Aurigis in itinere daret. Eum circa Calendas Septembris ipse cum familia, DEO vitam & valetudinem firmam mihi & meis largiente, secuturus essem. Sed hæc omnia tuæ fidei & prudentiæ commendo. Simulque à te reverenter & quanta possum contentione peto, ne vestrorum hominum expectationem de me fortassis ampliozem concites, quam ego sustinere & tueri possum. *ὅτι ἐὰν τοῦτο ἐστὶν αἰνιγματικὸν λέγει*. Et omnes meæ calamitates & nunc infestationes hostiles initio ex nimium amicis quorundam de me sermonibus & comparationibus invidiosis ortæ sunt. Nunc etiam vultus deformitas accedit, cujus ut Philopæmen ille Achæorum Dux, ligna fecare ab hospita iussus, pœnas interdum luo. Celeberrimæ Scholæ vestræ formam, indicatis Professorum Publicorum nominibus, & horis ac materiis lectionum seu autoribus, quos singuli publicè nunc interpretantur, à Ministro tuo describi, & proxima occasione ad me mitti velim. Venerandam canicem & paternam erga me benevolentiam & fidem, si una nos DEUS vivere volet, omni pietate, observantia & officiis patri debitis, perpetuo colam, & retinere ac tueri studebo. DEUM oro, ut nos gubernet, & servet. Bene & feliciter vale. Rostochii. Die 28. Junii, Anno 1566.

David Chytræus

CVII.

S. D. Illustrissime Princeps, Domine clementissime. Cum superiori mensè Majo, Augustæ mihi aliquot honestæ functiones offerrentur, & forte in ipsi. diebus rumor de iteratis expilationibus miserorum Civium in hac urbe, & de plu-